N.

Mi chariss^e^ frater. Si cum oibus tuis, quod spero, vales, b. e. Ego cum meis, quos hic mecum habeo, D. gr. recte valeo; de cæteris idem confido. Ego, & conjux, & filia Metta, 13/23 d. hujus m. Bremæ sum negotiorum meorũ causâ. Hermanny nr propediem tibi, D. v. aderit. eum tibi, et atque et commendo, perque te & semet ipsum aliis viris bonis & egregiis, quique ad ipsius promotionem quid poterunt, commendatum iri spero. Quod si in patria fuisset circa hoc tempus, quo laboratum est de locis vacantibus dni P. Varenholt, & dni Adami, p. m., supplendis, et ipsius procaldubio consideratio aliqua fuisset habita. In locum istum ante aliquot menses dni Herm. Hildebrandi p. m. filius, in hunc undevicesimus dn. J. Jacobi pastoris Lehensis J. Jacobi filius, filio meo probe notus, ex Moscovia monitu cujusdam fautoris nuper reversus, suffectus est. Sed et filio meo suo tempore, quod ipsi patienter & cum fiducia exspectandum est, Dominus providebit. Affinis meus, dn. Joh. Holle, laborat pro & pro cæteris; & ratio utriusque fuit ejus habita, sed numero suffragiorum alii prælati sunt. Etiam ipsi exspectandum est. Tout vient à poinct, qui peut attendre. Syndicus Wachmanny senior ante dies 14 diem obiit, anno ætatis 67^mo^. An tertius Syndicus rursus constituendus sit, adhuc ignoratur. Vidit ille paulo ante obitum generum suum, dnum D. Leusmannum, senatoria dignitate ornatum. Deniq lator harum et exhibitor, dns Johannes von Lindn, cognatus noster, Nobiliumque Ducatus Bremensis Syndicus, (viduus (: quâ sâ id iter in gium susceperit, ignotum :)) ad benevolentiam ~~tua~~ & officia tibi commendatus erit. Sed et hoc adjicio, post quatuor hebdomades nuptias fore [illegible] Diterici Hasling & Almetæ Meiners, D. Conradi Snellii p. m. privignæ. An illas hic exspectaturi simus (: quod sponsus ac sponsa, & propinqui, optant & petunt) dubito

Vale, mi frater, & salve a me & meis, conjuge & f[iliis]
cum tota domo tua. Jucunde & hilariter agite in
nuptiis filiae dni cognati nri Joh. Snellii, quem cum
tota quoque domo, unaque novos nuptos, & ~~propinquos~~ sp[onsi]
parentes & filiam, & amicos denique nros, dn. Beyem[...]
dn. Elison, &c per occasionem, plurimum salvere
jubeo. Salveat et filius meus, sciatque nos her[i]
accepisse literas ipsius & sororis, Hofhammio da[tas]
gavisosque cognita ipsorum valetudine, & quod nau[cle]
rus omnia recte tradiderit; pannum autem, quem de[...]
derant, non illi nauclero, sed alteri, capto[...]
Goteburgum deducto, commissum fuisse per incuria[m]
& tarditatem ancillae affinis nri Schwartzii. Sed g[ra]
vem id damnum est. utinam non alii, & ipse nauclerus
graviora paterentur. Vale iterum, tutelae Di[vinae]
commendatus. Dat. Bremae d. 26 st. v.
Maji, 1659.

T. amantissimus
Frater.

Rev:do et Clarissimo
viro, Dn. Johanni Coc-
cejo, S.S. Th. D. & Profes-
sori in Acad. Lugd. Batava
ejusdemque p.t. Rectori
Magnifico, Fratri
meo charissimo.

Par amy que
Dieu conduise. Leiden.